



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula attestationis natalium, & morum, & fidei professionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Nec item vicitus ac vestitus procura-  
tionem, ac illorum dispensationem exer-  
ceas.

Diebus festis, pueros ad diuina offi-  
cia, ad verbi Dei Conciones, & Doctri-  
nae Christianae scholas adduces.

Tu vero ipse iisdem diebus superpel-  
liceo induitus, in Ecclesia S. N. Missæ  
Conuentuali, & Vesperis intereris;  
mensualibus item Congrega. Processio-  
nibus, & reliquis huiusmodi, quibus  
Clerus interesse debet, & tu interesse ne-  
omittas.

Has autem nostras literas diutius ti-  
bi suffragari nolumus, quam per sex me-  
ses; quo tempore confecto, ne audeas fi-  
ne noua confirmatione docendi artem  
exercere, sub pena suspensionis ipso fa-  
cto incurrienda, quam scito nullo pacto  
imperaturum, nisi testimonio Praefecti  
tae regionis constiterit, supradicta ca-  
pita diligenter te executum esse. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur cle-  
ricum nondum initiatum missæ  
sacro diuinisq; officijs  
inseruire.

**C**arolus &c. Tibi N. qui habitu cle-  
ricali deferendi licentiam obti-  
nes, Superpelliceo decenter induito, vt  
in Ecclesia S. N. Sacerdoti celebranti,  
& sacramenta administranti, vsque ad  
proxima stata sacrae ordinationis . . .  
tempora inseruire possis, his nostris per-  
mittimus. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur pue-  
rum laicum ob defectum clerici  
Missæ sacro alijsq; diuinis  
officijs inseruire.

**C**arolus &c. Tibi N. laico, & de le-  
gitimo matrimonio procreato, Ve-  
ste talari, & superpelliceo decenter in-  
duto, vt in Ecclesia S. N. attenta eiusdem  
Ecclesiae & Parochianorum paupertate,  
necnon ministrorum Ecclesiasticorum  
qui ibi inseruant, penuria, Diuinis offi-  
cijs, & Sacerdoti celebranti, Sacramen-  
taque ministranti, ad menses . . . in-  
seruire possis, his nostris literis permit-  
timus. Dat.

Formula facultatis, qua permittitur ec-  
clesiasticum hominem vitæ susten-  
tandæ causa domi habere mu-  
lierem senescentem.

**C**arolus &c. Tibi N. ob vitæ susten-  
tandæ curam N. mulierem, ætate  
annorum . . . domi habere lice-  
re, his literis concedimus, quas per an-  
num tantum tibi suffragari volumus.  
Datum. &c.

Formula facultatis, qua permittitur ec-  
clesiasticum hominem habitare  
in ædibus laicalibus.

**C**arolus &c. Cognitis causis quas  
exposuisti, tibi N. his nostris lite-  
ris permittimus & concedimus, vt in  
ædibus laicalibus N. laici hominis, e-  
tiam si in illis mulieres sint, per . . .  
habites. Dat.

Formula attestationis Natalium, mo-  
rum, & professionis fidei.

**C**arolus &c. Vniuersis & singulis  
præsentes literas inspecturis, lectu-  
ris, & audituris, salutem in Domino semi-  
piternam. Ad habendam de fide, mori-  
bus, doctrina, ætate, & natalibus certam  
scientiam Ven. viri D.N. Clerici Medio  
lanensis, pro parte illius requisiti fuimus,  
vt expeditam super his inquisitionem fa-  
cere dignaremur. Nos huiusmodi hone-  
stæ requisitioni annuere volentes, pro-  
uidos viros, multum RR. DD. N. N. & N.  
quorum fidem, religionem, & animi in-  
tegritatem probatam habemus, seorsum  
super vita, moribus, ætate, religione, &  
natalibus præmissis, medio iuramento  
examinando coram nobis duximus; &  
deinde collectis singulorum depositio-  
nibus, comperimus præf. D.N. esse æta-  
tis circiter 30. ann. clericali charactere  
ritè insignitum, legitimis natalibus or-  
tum, honestis moribus præditum, nec vt  
la prorsus hæresis labore pollutum, sed in  
communione fidelium, qui sanctam ca-  
tholicam & apostolicam Romanam Ec-  
clesiam profitentur, cōstanter vixisse, &  
vivere; eumq; in philosophia, & vtroq;  
iure in celeberrimis Academijs laurea-

mus

tum esse: inde subiectos de fide articulos illi coram nobis genibus flexis, præsentibus probis viris Reuer. DD.N. & N. te stibus ad hæc vocatis, & specialiter rogatis, legendos, & profitados, iuxta Bullam fel. rec. Pij PP. IIII. tradidimus; quibus ad vnu alta & intelligibili voce per lectis, & professis, se illa omnia & singula, sicut conscripta sunt, omni tempore seruaturum, iurejurando promisit & affirmauit, in hunc qui sequitur modum, videlicet. [Ego N. firma fide credo &c.] In quorum fidem &c.

Formulariterarum, quibus aliquid de sacris reliquijs conceditur Episcopo, stupor qui earum translationi interfuerit.

**C**arolus &c. Omni studio instituta complectimur, quæ fidelium pietatē excitant, quæq; ob eam causam sanctiss. patres nostri adhibuerunt; & illa quidē præsertim, quæ in nostra hac Ecclesia olim visitata fuisse accepimus. Id enim aliquando in more positum fuit, Episcopis, qui translationis celebritati præsentes adfuerint, aliquid sacrarum reliquiarum, quæ translatæ esent, pia liberalitate concedi. Nos igitur hoc, quod oblata occasione ad vsum reuocare studemus, maiorum nostrorum exemplo adducti, ac præterea Illustriss. ac Reuerendiss. in Christo patris & D. D. Cardinalis Paleotti, Episc. Bononiensis (qui pro eo, quo tenetur, amplificandæ Ecclesiæ disciplinæ desiderio, ad solennem S. Simpliciani, aliorumque sanctorum translationē, quam proximè concelebrauimus, literis nostris inuitatus, amplissima auctoritate sua, & virtutum maximarum, quæ in eo eluent splendore, illam collustravit) singulari pietate commotis; & ea quoq; recor. memoriaque excitati, quod Ecclesia Bononiensis, cui ille præest, mutuis præcipue charitatis officijs cū hac nostra Mediolanensi, & olim tempore potissimum Sancti Patris nostri Ambroſij, & iam nunc maximè coniuncta est: in eam deliberauimus, vt eidē religiosi. Cardinali pastorique vigilātiss. Bononiam ad Episcopalē itationem suam redeunti, aliquas sacras reliquias

sanctorum, qui in hac nostra Mediolanensi Ecclesia præcipue coluntur, nos piè impartiremur. Itaque S. Simpliciani Archiepiscopi & Confessoris digitum vnu de Ecclesia eiusdem; Sanctorum etiam Archiepiscoporum & confessorum, Ioannis Boni, Monæ, & Galdini reliquias sacras de Basilica Metropolitanā, Sancti item Arderici Episcopi & Confessoris reliquiam de Ecclesia Sancti Nazarij, & beatorum Martyrum Naboris & Felicis reliquias de Ecclesia Sancti Francisci, & reliquiam quoque de sacris cineribus Sancti Eusebii Archiepiscopi & Confessoris, ex Ecclesia Sancti Laurentij, ac reliquiam item de dalmatica Sancti Patris & Parroni nostri Ambrosij ex Basilica Ambrosiana, ipsi Illustriss. Cardinali Paleoto Episcopo Bononien si pia largitione donamus, tradimus, im partimur, & concedimus. In cuius rei fidem & testimonium, has literas manū nostra, solenniique sigillo Archiepiscopali Sancti Ambrosij munitas atque ob signatas fieri iussimus: earumque monimentum atque exemplum in cancellaria Archiepiscopali asseruari mandauimus.

Dat. Mediolani idibus Iunij. 1582.

Formula literarum, quibus ex causa probatut absentia Episcopi.

**C**arolus &c. Nobis amplitudo tua Reuerendiss. per literas exposuit, se ad Beatae Mariæ Lauretanæ ædem sacram, voti causa, indeq; Romam ad Iubilei anni Sancti qui prope instat, celebritatem breui profecturam esse. Quam ob causam cum ab ista Ecclesia sibi commissa aliquadiu absutura sit, a nobis hoc petiit, vt sibi per nos a residetiae suæ personalis munere tadiu abesse liceat, quoad istam profectione peregrinatione confecerit. Nos igitur pro auctoritate nobis, qui Metropolitanī personam sustinemus, decreto Tridentino concessa, istius absentiae facultatem Reuerendissimæ paternitati tuæ damus, ejusdēque causam his nostris Archiepiscopilibus literis probamus. In quarum rerum fidem &c.

For-